



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

De Oratione seu Collecta ante Epistolam, & aliâ post Communionem dici
solitâ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](#)

illuminante illis dixit Angelus Luc. 2. Ecce evan-
gelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vo-
bis hodie Salvator, qui est Christus Dominus. Et
assumptâ secum magnâ Angelorum multitudine
cælestè hoc canticum simul cum aliis modulari
cœpit: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax*
hominibus bona voluntatis. Quod deinde Ec-
clesia sic prosequitur: *Laudamus te, benedici-
mus te, &c.* Quâm dolendum hæc & similia sæpè
in Missa & dici & audiri sine debitæ devotionis
ac exultationis gustu. Non ero tam tepidus
mi Domine. Persuadebo mihi lætum nati Sal-
vatoris nuntium toties mihi afferri ab Angelo,
quoties Missam vel dicam vel audiam; eò quod
paulò post videbo & adorabo accidentibus co-
pertum, quem olim Pastores viderunt, & ado-
rarunt pannis involutum. Hæc verba *Dominus*
vobiscum post hymnum dictum in hujus me fidei
veritate confirmant. *Emmanuel enim Messias*
nominandus erat, quod tantundem sonat ac
vobiscum Deus.

*De Oratione seu Collecta ante Epistolam, & alia
post Communionem dici solitâ.*

Sacerdos in oratione tûm suo tûm totius po-
puli & universæ Ecclesiæ nomine varia à
Deo pro temporum diversitate & pro necessita-
tum occurrentium exigentia dona & beneficia
petit, quæ Sacrum audiens cum ipso orare de-
bet, vel si non intelligat, ad Sacerdotem se refe-
rat, qui omnium nomine petit. Idque cum eo
ma-

majori facere debet fiduciâ , quod pro nobis in
orationibus contenta posulat Ecclesia , quæ
quoniam in spiritu sponsi sui petit , in petendo
non errat iuxta illud ad Rom. 8. *Quid oremus ,*
sicut oportet , nescimus . Ipse autem spiritus in Ec-
clesia ejus commorans postulat pro nobis gemitibus
inenarrabilibus .

De Epistola.

Lacrymis deplorandus abusus est inter fideles
admodum frequens , quod verbum Dei cum
tam exigua reverentia , attentione ac devotione
audiatur . Sæpe magna audiendi aviditate ad
celebrem aliquem Concionatorem audiendum
accurritur . Quem , tametsi in se talis non sit ,
horâ integrâ nullo cum vicinis prolatu verbo
audimus . Quid autem est Epistola aliud , quam
brevis quædam concio ? quam SS. Petrus , Pau-
lus , Joannes , Jacobus , aut de Prophetatum nu-
mero alias ; aut vir aliquis sanctus ad nos habet
quorum ore Deus locutus est , & cælestem do-
ctrinam proposuit . Dum ergo audis v. g. *Lectione*
Epistola B. Pauli Apostoli ; Imaginare S. Pau-
lum tibi concionari . Sacerdos autem Pauli vel
alterius verba recitans , & multò magis Christi
in Evangelio , si id non faciat distinctè , clare , &
cum devotione & gravitate debitâ , sed depro-
peranter ac indevertè , melius staret cum histri-
onibus in theatro , quam in templo cum Sacer-
dotibus ad Altare . Tu vero Epistolam legi au-
*dientis menor illius Luc. 10. *Qui vos audit , me**

audit